

Q. N. 351, 26.

DISPUTATIONUM ETHICARUM.
SECUNDA



(2)

X1179762

DE SVMMO HOMI-
NIS BONO, ex lib. 1.

ἠθικῶν Νικομαχείων Aristotelis
petita.

Quam

JEHOVAH PRÆSIDE

In illustri Lipsiensi Academia

Sub moderamine

M. ANDREÆ BAUER
CIZENSIS.

tueri conatur

MICHAEL BEER VALLE-IO-
ACHIMICUS Bojemus.

Horis & loco solitis.

Anni M. DC. XVI.



L I P S I Æ,

Excudebat LAURENTIUS COBER.





V I R I S

Nobilibus ac Spectabilibus
ut & Amplissimis

Dn. TOBIÆ Wiebell / Sacr. Cæsareæ
Majestatis Præfecto & Decumatori in
Vallibus D. Ioachimi præstantissimo, fide-
lissimo:

*Fautori suo nullo non observantiæ
genere perpetim colendo:*

Dn. CENTVRIONI Sengfelder /
Sacr. Cæsareæ Majestatis Rei Mone-
tariæ in Vallibus Ioachimicis Præfecto,
Vitrico suo charissimo:

*Disputationem hanc
Ethicam*

Confecrat & offert

Michaël Beer/
RESPONDENS.



BONO CUM DEO.

Ἐὐδαιμονία.

Durrit tibi animus, ò HOMO, ad Eudemoniam? gestis ultra communem hominum sortem tuum extulisse caput? sitis humana vitæ paululum emerfisse fluctibus? gaudes audire beatus? adi & audi Philosophum Aristotelem: Etenim cum, propter majorem ad vitia potius, quàm ad virtutes inclinationem, arduum satis ac difficile videatur, juxta virtutis præscripta sese rectè componere; Ecce, Eudemonia hujus excellentiam ac suavitatem tibi, MENS GENEROSA, contemplandam & degustandam offert, & quidem primo statim limine, ut ipsius amore et dulcedine pellecta, in virtutum palestra nullum non periculum aggredi audeas; donec tandem in summo felicitatis conscenso culmine molliter recumbens, res despiciere caducas didiceris: haud aliter ac gnavus & impiger viator, qui licet, antequam terram tangit exoptatam, varias cœli injurias, solis ardores, ventorum impetum, pluviarum niviumq; incommoda, fallacisq; fortuna lusus & libidinem experiri teneatur, non tamen fractiori fit animo, sed assiduò oculis ad locum, quò tendit, defixis, ejus commoditate sese oblectare consuevit. Vt verò Eudemonia hujus aut summi boni natura dilucidius patefcat, Duce philosopho, videndum est PRIMO eîsî, an detur. 1. FINIS. 2. usq; ultimus seu summum bonum. 3. quam Methodum, auditoresq; requirat. DEINDE τί eîsî, quid sit: TERTIO ποῦ eîsî, quale sit. DENIQUE quod sit ejus Subjectum, paucis expediendum.

T H E S I S . I .

I. I. FINEM actionibus humanis esse præstitutum exinde constat: quòd omnia studia, cogitationes, actiones & consilia appetere finem, ceu bonum, videantur: quodq; res omnes connatum finis appetitum habeant: & nisi daretur, appetitus humanus inanis esset futurus, & res εἰς ἀπειρον abiret.

II. Verùm non solum datur ejusmodi finis, sed is etiam multiplex reperitur: Nam. i. alius Philosopho dicitur ἐνέργεια seu πράξις, operatio: Scaligero, finis operæ: aliis finis internus: Alius τὸ ἔργον opus. Scaligero, finis operis: aliis externus: ubi notandum: ibi opera operationibus esse præferenda, ubi operationes propter opera suscipiuntur. ii. Finis alius est Princeps seu Architectonicus: alij Inferiores seu Subordinati, qui sub architectonici finis ambitu continentur, & ad eum diriguntur.

III. Est itaq; ultimus sive architectonicus finis, qui dicitur τὰ γὰρ δὸν καὶ τὸ ἀείρον; bonum ac optimum, cujus cognitio, ad vitam rectè instituendam, magnum habet momentum: non secus atq; scopus, quem dum intuentur τοῦ βίου, faciliùs, quod oportet, assequuntur.

IV. Hujus finis ultimi τῶν πραγμάτων consideratio spectat ad Politicam, ceu disciplinam κλειωτάτην καὶ μάλιστα ἀρχιτεκτονικὴν: Hæc quippe præscribit terminos reliquis artibus & disciplinis, ostendens, quas scientias, quam diu & quatenus discere liceat: Hæc tanquam Domina reliquis facultatibus honoratissimis, ceu Militari, Oeconomica, Rhetorica, imperat: Hæc reliquas scientias, quarum opus est in agendo, ad usum suum adhibet ostenditq;, quid faciendum fugiendumq; sit: Hæc publicum omnium civium sive subditorum bonum attendit.

V. Ratio tractandi Ethicam non est exquisita, sed popularis, rudi Minerva τὸ ἀληθές demonstrans, & tales efficiens conclusiones, quæ sint τῶν ὡς ἐπὶ τὸ πολλὸν rerum quæ plerunq; eveniunt. Cùm enim res κατὰ τὴν ὑποκειομένην ὕλην discerni & tractari oporteat: & verò instabilis atq; incerta sit morum natura; probabilibus quoq; & ex quotidianis vitæ humanæ actionibus petitis rationibus utitur philosophus: Est enim πεπαιδευμένον, ἐπὶ τοσοῦτον τὸ ἀκρίβες ἐπιζητεῖν κατ' ἕκαστον γένος, ἐφ' ὅσον ἢ τὸ πρᾶγμα τοσοῦτον φύσει ἐπιδέχεται.

VI. Minus idoneus videtur esse auditor Ethicæ Juvenis, tùm quia ἀπειρος τῶν κατὰ τὸν βίον πράξεων expers est actionum humanarum: tùm quia τοῖς πάθεσιν ἀκολοθητικὸς Spectator est & mancipium affectuum.

VII, Neq;

I.
ei 157.
An sit Finis.

Finium differentia.
Prior.
Exer 307.
J. 23. de cau.
L. L. c. 80.
Posteriar.

Cognitio finis ultimi spectat ad politicam.

Methodus tradendi præcepta Ethicæ.

Auditor germanus quis futurus.

Mammonæ & Plutonis se macerant curis, adeoq; se beatos prædicant, si arca nummis, & horrea frumentis tumeant: *alij* deniq; τῶν ἰδίων θεωρίαν, hinc θεωρητικοί, ceu Socrates & Plato, qui ut omnium rerum, ita quoq; ipsius boni quandam finxerunt ideam, à cæteris rebus seorsim existentem, quæ singularum rerum esset essentia. Imò unusquisq; arbitratur Summum Bonum esse, quod sibi in certo vitæ genere sectandum proposuit: Impiger mercator, lucrum: animosus miles, prædam: gnavus literarum cultor, doctrinam: facundiam, Rhetor industrius: adde, quòd unus idemq; homo diversis temporibus diversam agnoscere beatitudinem videtur: Si æger, quid expetit, quâ Sanitatem: Si periclitatur navi, quid vocat, quid clamat, quid desiderat, quàm terram? Si esurit, quid somniat, quàm panem?

XIII. Sed cum ἀπάσας τὰς δόξας ἐξετάζειν & ad calculos revocare supervacaneum, & λίαν οὐκ ἔστι foret, imò infinitum, cum 288. recenseri possint, quinq; μάλιστα ἐπιπολαζέσαις & insignioribus rejectis, in reliquis non multum fuerit negotij.

XIV. Et PRIMÒ: VOLUPTATE nec animi, nec corporis summum bonum est mensurandum: Non ANIMI, quia non nisi comes & affectio ut virtutis, ita etiam beatitudinis esse potest: non CORPORIS, I. quia homines φοβηκῆς καὶ ἀνδραποδώδεις turpia mancipia efficit: 2. quia βοσκήμασι pecudibus & bestiis similes eosdem reddit: Voluptas quippe hæc homini cum bestiis communis est, quia delectationem sensuum consequitur. Sensus autem utriq; generi communis est. Adde, quòd Voluptas hæc sit esca serpentis, cicuta virtutis, spuma & sperma Veneris, sentina & tæda omnis turpitudinis: Et, secundum Basilium, ἀγκιστρὸν τῆς διαβόλου πρὸς ἀπώλειαν ἔλκον.

XV. SECUNDÒ: Nec HONOR Summum Bonum esse potest. I. quia felicitas est οἰκῆιον καὶ δυσαφαίρετον domesticum ejus bonum, qui possidet: quòq; planè non aut saltem difficulter eripi potest ei, qui illud possidet: At honor non est οἰκῆιον domesticum ejus bonum, cui offertur: ἐν τοῖς γὰρ ἡμῶσι μᾶλλον, ἢ ἐν τοῖς ἡμεωμένοις: & nihil facilius aufferri potest ab homine, quàm honor, utpote qui ab inconstanti & in singulas horas mutabili dependet mortalium voluntate: 2. quia non expectitur di' ἀλλ' per se, sed di' ἀλλ' propter virtutem, cujus honor est symbolum. Nedicam, quòd honor sæpè fit hypocriticus & mendax: Sæpè enim homines, alios qui laudant, à mente & corde os & linguam habent alienam, plerunq; exterius plausibiliter applaudendo collaudant eos, quos interius contradictoria irrisione defraudant: foris vultu applaudunt virgineo, intus detra-

Summum
bonum con-
sistit. I.
NON IN
VOLV-
PTATE.

Seneca. 4.
de benef. c. 2

2.
Non in HO-
NORE.

*detractionis pungunt aculeo: foris adulationis mellitos compluunt imbres, in-
tus calumniarum evomunt tempestates.*

XVI. TERTIÒ: Nec VIRTUTIS HABITUS Eudæ-
monia dici potest: 1. quia *beatus non est otiosus, sed negotiosus & mu-
nere suo fungitur: at virtute præditus otiosus esse potest, aut dormire,
aut nihil agere:* 2. quia *beatus non videtur calamitosus: at virtuosus
potest cum maximis conflictari periculis: quem tamen beatum ne-
mo facilè dixerit, nisi δέσιν διαφυλάττειν seu sententiam animo semel
conceptam tueri velit.*

XVII. QUARTÒ nec DIVITIÆ queunt insigniri Eudæmo-
niæ nomine: 1. quia expetuntur non propter se, sed propter usum,
quem habent in vita humana, *extra quem ne quidem inter bona sunt recen-
sendæ.* 2. quia sunt *bonum βίαιον violentum; plerunq; enim per fas &
nefas cumulantur: imò multis perniciem, omnibus penè pericu-
lum creant. Hinc Chilon interrogatus, Quid essent divitiæ, rectè re-
spondit: Thesaurus malorum, calamitatis viaticum, improbitatis suppe-
ditatio.*

XVIII. QUINTÒ Nec Idea boni Platonica est summum bo-
num. Nam PRIMÒ *non datur bonorum omnium idea communis: 1. Non in I-
quia in bonis datur prius & posterius, idq; exemplo Substantiæ & Ac- DE A
cidentium declaratur; ubi Substantia prior est accidentibus, παραφύσει PLATO.
similimis; cùm tamen Plato negaret in numeris esse Ideam conce- NICA.
dendam, quòd in ipsis sit prius & posterius. 2. quia bonum datur in
diversis prædicamentis, ut Mens in Substantia est bona, virtus in quali-
tate, æqualitas in quantitate &c. At ea, quæ communem habent I-
deam, unico prædicamento contineri debeant, 3. quia non est omni-
um bonorum eadem scientia, quod eveniret, si communem haberent i-
deam. 4. quia Idea nihil differt à rebus singularibus, utpote qua-
rum eadem est definitio. SECUNDÒ: Licet datur ejusmodi Idea, ci-
vilium tamen actionum finis non est constituenda. Nam 1. quia investi-
gamus hîc bonum *ωρε κλον κη κλητον ανδρω ωφ: Idea autem, cùm vix in-
tellectione percipi possit, industria aut studio comparari nequit.*
2. quia nostra beatitudo in actionibus, ipsarumq; circumstantiis sita est:
Idea autem Platonica ab actionibus est remotissima inq; sola locata theoria.
3. Si Idearum noticia hominibus ad civiles promptius obeundas acti-
ones aliquid conducere, aut ad opera artis splendidius producenda:
nullo modo consideratio ipsarum hæctenus à tot viris bonis sapienti-
bus & artificibus ingeniosis fuisset præterita, qui cùm cæteras artes
huma-*

humanam vitam commodissimas herculeis laboribus inventas posteritati reliquerunt, idearum tamen noticiam tanquam nullius momenti rem taciti transiverunt.

Descriptio. XIX. *Spinis hisce ita remotis*, Eudæmonia natura facilius apparet, quam *Philosophus* διαλεκτικῶς sic adumbrat: εὐδαιμονία ἐστὶν ἀκρότατον καὶ τελειότατον τῶν πραγμάτων ἀγαθόν. *Ακρότατον ultimum seu extremum est, quod eius gratia omnia reliqua expetantur & fiant: τελειότατον seu perfectissimum est, 1. quia est ἀείρον, cum sit summum bonum: optimum verò, est perfectissimum: 2. Semper δι' αὐτὸ propter se, & nunquam δι' ἄλλο expetitur. 3. est ἀυταρκές bonum seipso contentum, nec aliorum bonorum accessione augetur.*

Definitio. XX. Sed cum hæc *beatitudinis descriptio seu commendatio*, accidens saltem ejus declaret, necesse est afferamus definitionem analyticam, quæ τὸ τί ἦν εἶναι explicet; Eudæmonia igitur est ἐνέργεια ψυχῆς λογικῆς καὶ ἀρετῆν ἀρίστην, καὶ τελειοτάτην ἐν βίῳ τελείῳ: *operatio animi rationalis secundum virtutem optimam & perfectissimam in vita perfecta. Cujus definitionis partes singule sunt 1. explicanda. 2. veterum autoritate confirmanda. 3. Felicitatis causa Efficiens vera designanda.*

Genus. XXI. *Operatio genus beatitudinis statuitur*, quod hominis perfectio in operatione ejus consistat, & cæteræ res operationis peculiaris gratiâ sint factæ: *Sic artificum perfectio in operatione consistit: sic partium corporis humani certæ sunt operationes: Epar ad sanguinis confectionem: ventriculus ad concoctionem: oculus ad visionem: manus ad prehensionem: omnia membra corporis: imò omnes res ad peculiarem edendum functionem sunt comparata: Quare & totius hominis opus proprium est statuendum.*

Differentia
I.
à Subjecto. XXII. Quæ sequuntur indefinitione, loco differentia ponuntur: PRIMÒ enim beatitudo dicitur *Operatio animi rationalis: 1. quia non est externum bonum, corporis scil. quod homo cum multis rebus naturalibus commune est sortitus. 2. non potest dici bonum animæ vel θρεπτικῆς nutrientis, vel αἰσθητικῆς sentientis, quia hæc cum stirpibus & bestiis sunt communes: hic autem de hominis bono proprio est fermo: Iccirco potest illud in nulla alia locari facultate, quàm eà, quæ homo id est, quod est, & quæ à cæteris omnibus rebus naturalibus secernitur: Hæc autem est ANIMA RATIONALIS, forma hominis. Cum ergò multæ & variæ sint operationes: alia enim est ignis, nimirum adscensio sursum: alia cæli, circumvolutio: alia auri, confortatio cordis: alia magnetis, attractio ferri: alia plantæ, vitæ*

vita nutritio, auctio, & generatio: alia bruti, visio, auditio, olfactio, gustatio, tactus & ambulatio: rectè hominis operatio, dicitur operatio animæ rationalis: QUAE vel PER SE ratione est nobilitata, & dicitur INTELLECTUS seu MENS: vel quæ ex seipsa rationem non habet, rationi autem morem genere potest, diciturq; APPETITUS: Hujus operatio est praxis: actio illius contemplatio.

XXIII. DEINDE: *Beatitudo est operatio κατ' ἀρετὴν ἀριστὴν καὶ τελειοτάτην*, quia est summum bonum & perfectissimum; *perfectissimum* autem non potest nisi juxta normam perfectissimam agere. Non potest autem heic unà tantum virtus scilicet vel Justitia, vel Prudentia, tantum intelligi, siquidem hac ratione ceteræ virtutes ab ultimi finis fabricatione arcerentur, cum tamen omnis virtus medium sit ad Felicitatis castellum scandendum: sed quælibet virtus notatur, quæ usu longo & actionibus frequentibus comparata in summo gradu est constituta: licet non inficiemur κατ' ἐξοχὴν Justiciam Universalem, omnes reliquas virtutes suo ambitu complectentem respectu practicæ: sapientiam verò theoreticæ felicitatis respectu intelligi.

2.
à causa efficiente.

XXIV. DENIQUE: *Beatitudo est operatio καὶ βίωσις τελεία*: Quibus verbis non perfecta tantum ætas, ubi rationis est vigor, & judicij acrimonia, verum etiam perseverantia & constantia in honesti studio notatur. Sicut μία χελιδὼν ἕδεξ' ἔποιε, ἔδδ' μία ἢ ἡμέρα; una hirundo & una serena dies ver non efficiunt, sed hirundines & dies sereni plures: Ita neq; una aut altera actio juxta virtutem, aut exiguus aliquis temporis tractus beatum reddunt, sed exercitium virtutum omnium per universam vitam, nulla interruptione per vitia aut otia factâ, decet continuare.

3.
à Temporis circumstantia.

XXV. Cum autem notum sit, definitionem esse principium, adeoq; in Ethicis demonstrari non soiere, probabiliter nunc beatitudinis definitio è rectè sentientium Philosophorum opinione sic, confirmari potest: Nam 1. & illi beatitudinem in operatione, non in otio hominis posuerunt. 2. Operationem & quidem animi dixerunt, cum bona corporis, ceu sanitas: & bona fortune, ceu divitiæ & nobilitas, bonis animi, ceu virtutibus, longè sint inferiora. 3. Nonnulli eorum beatitudinem, absolutè virtutem: quidam prudentiam: non pauci etiam Sapientiam quandam dixerunt: 4. deniq; Voluptatem, vel rerum externarum affluentiam adjunxerunt.

συμφωνία
veterum
philosopho-
rum.

XXVI. Præstat verò in πράξει καὶ χρήσει actione & usu potius, quàm in ἔξει καὶ κτήσει habitu & possessione Eudæmoniam collocare, si verè beati homines dici mereantur. Videmus enim actione aliquid effici,

B

effici,

effici, habitu verò nihil: Et sicut in ludis olympicis & certaminibus non pulcherrimo & robustissimo corporis habitu præditi coronantur, sed qui decertant ac vincunt: Ita etiam honestorum in vita bonorumq; h.e. beatitudinis compotes fiunt, solis honestis actionibus lætantes.

XXVII. Eam verò ob causam nulla voluptatis in Eudæmonia definitione mentio fuit facta: 1. quod illa, puta ANIMI, sit individua beatitudinis comes, cum actiones virtutum non modò naturam, sed etiam viro bono non possint non esse jucundæ; ita ut non opus sit aliunde accersita voluptate. 2. quòd τὸ ἀγαθὸν bonum, τὸ καλὸν honestum, καὶ τὸ ἡδὺν jucundum, arctissimè inter se sint connexa.

XXVIII. Quod verò in eadem definitione, bonorum externorum nullam faciat mentionem Philosophus, ideò factum, quòd non ad essentiam, sed existentiam, tanquam ὄργανα, adjumenta & ornamenta sint necessaria: Non enim potest, aut vix potest res præclare gerere is, cui non amicorum copia & divitiæ & potentia civilis suppetunt: qua causâ adducti nonnulli εὐδαιμονίαν καὶ εὐτυχίαν fortunæ prosperitatem eodem numero & loco habuerunt: licet multum differant, arbitantes neminem verè beatum esse, cui etiam fortuna non faueat: Atq; hæc de confirmatione sententiæ Aristotelicæ, ex veterum Philosophorum autoritate dicta sufficiant.

Causa Efficiens felicitatis.

1. Universalis DEVS.

XXIX. ACTIO SECUNDUM VIRTUTEM talis est, ut aliunde manet ac producat: Itaq; Eudæmonia primum DEO, ceu omnium rerum autori tribuitur. 1. quia felicitas cum sit præstantissimum effectum, meritò debet præstantissimæ causæ attribui, unde etiam, θεοσδοτος dicitur. 2. quia DEUS ipse quoq; εὐφύας autor. 3. quia idem est πολέμοιος, omnibus de sua impertit bonitatem, nec quisquam aliunde, quàm à DEO habet bonitatem.

2. Particularis.

XXX. Efficiens autem PARTICULARIS, qua mediante DEUS causa est, existit NATURA ET INDUSTRIA HUMANA. Nam quod natura requiratur ex proverbio illo constat: Quod invitâ Minervâ suscipitur, aut non perficitur, aut malè. Vt itaq; homo beatus evadat, propitiam omninò primò Naturam experiatur, qua idoneum ipsum ac habilem efficiat ad virtutis efformandum & suscipiendum habitum.

XXXI. Sicut autem Natura ad felicitatem assequendam plurimum facit: Ita nisi diligens accedat exercitatio, non tantum nil prodest, sed quoque obest, veluti ager, nisi sedulò excolatur; quò Naturâ fuit pinguior & ferti-

fertilior, eò plura zizania, lappas, aliasq; frugibus inimicas profert
herbas. Iccircò Natura laborum flabellis excitanda & perficienda, quò felicitatis
portus obtineatur.

XXXII. *Consistit autem in duobus: Disciplina & Assuefactione.* Requi- l. 10. Eth.
rit n. Philosophus doctrinam præceptorum Ethicorum ideò, ut virtu- c. 9.
tis conspecta dignitate & utilitate, contra verò vitij turpitudine &
detrimento agnito, ad virtutem sequendã, vitium verò devitandum
instigemur. Quod eleganti similitudine ibidem explicat ajens: Sicut
terram antequam semen illi mandes, subigi prius & arari oportet: Ita animus ejus,
qui in moribus est instituendus, honesta disciplina est excolendus, ut honestis rebus
gaudeat, turpibus offendatur, & pravis animi perturbationibus frena non laxet;
alioquin bonos mores docentem non intelliget, nec docenti obtemperabit.

XXXIII. Quoniam verò finis rerum gerendarum non est co-
gnitio, sed actio, qui ad beatitudinem adspirat, non tantum quid faciendum sit,
& quomodo secundum virtutem se gerere debeat, noscat; sed QUÆ SCIT, po-
tius ad actionem transferat, strenueq; corpore & animo exerceat. Iccircò causa
efficiens maximè propria beatitudinis est IPSA VIRTUS et quidem
VIRTUS EXERTA & EXERCITATA.

XXXIV. Ex hætenus dictis eliciuntur quædam προήσματα, quæ προήσμα-
præsentem materiam & Eudæmonia definitionem declarant. PRI- τα
MUM: Fortunam non esse beatitudinis causam efficientem: 1. quia fortuna tan- 1.
tum causa est per accidens, utpote, quæ est rapida, levis, præceps, in- Fortuna
stabilis, bruta, cæca, quæ cum blanditur, captatum venit: quem non est cau-
fovet, stultum facit: vitrea est, cum splendet, frangitur: quæ citò sa felicitatis
reposcit, quod dedit, ut Cyrus loquitur: Felicitas verò est bonum μέγιστον
& ἀκλίσιον firmissimum, constantissimum: Effectum a. nobilissimum cau-
sæ deterrimæ assignare valdè foret ineptum. 2. Si fortuitò homini-
bus beatitudo eveniret, frustra de eadem assequenda leges & præ-
cepta præscriberentur: in cassum boni Magistratus in id incumbere-
rent, ut cives suos viros bonos & ad res benè præclareq; patrandas
habiles & aptos reddant.

XXXV. SECUNDUM ὑβρισματα: Pueris & bestijs Eudæmonia nomen dene- 2.
gari: Bestijs quidem, quia ratione orbata in virtutis tramite currere ne- Pueris &
sciunt: Pueris verè, quia tamen si ratione, quoad essentiam pollent: quoad usum bestijs feli-
tamen eadem destituuntur, atq; ita inepti ad virtutum opera edenda existunt: 2. citas non
quia nondum in vita sunt perfecta: Interdum autem pueros appellamus bea- competit.
tos, non quod re & potestate tales sint, sed quod SPE & PIETATE tales reperian-
tur,

tur, quòd nimirum præclara futura virtutis de se præbeant si-
gna.

3.
Homines
ante mor-
tem verè
sunt beati.

XXXVI. TERTIUM *τρίτον*: Homines ante mortem verè esse beatos. Nam secundum virtutem agere, in qua Eudæmonia collocatur, est viventium, non mortuorum, quippe qui non agunt, sed agere desinunt. Iccircò si Solon putat, mortuos tantùm verè beatos esse, non vivos, & in morte primùm inchoari felicitatem practicam, falsum est. Pij quidem, cum moriuntur, in statum feliciorum mox transferuntur: at illa est beatitudo celestis, non moralis, nec ad hanc vitam limitata, de qua sola hîc solliciti sumus. Deinde notandum est, aliud esse felicem: aliud pronunciarî felicem: Priori respectu, ante mortem quis felix esse potest: Virtus enim exercetur in vita, non post funera: Et ubi est continuata virtutum actio, ibi quoque beatitudo. Posteriori respectu felicitas dupliciter consideratur: vel Intensivè, vel Extensivè. Intensivè felicem dicimus quemcunq; secundum virtutem agentem: Extensivè, non nisi finaliter in hac prosperitate perdurantem. Intensivè, ante obitum quemvis virum bonum: Extensivè, neminem tutò beatum dixeris, ante obitum, siquidem divitiæ in paupertatem, honor in contemptum, libertas in carcerem facile mutari possunt: Post obitum verò, fortunæ mutabilitati non amplius subjacet, ideoq; felix pronunciarî potest, non quod felicitas tum demum incipiat, sed quia nos ibi primùm certò scimus, eum fuisse & mansisse felicem. Sed hæc vulgiferentiam ut plurimum sapiunt.

4.
Fortuna in-
constantia
non mutat
felicitatem.

XXXVII. QUARTUM *τρίτον*: Fortuna inconstantiam non mutare felicitatem, ita ut eam vel majorem vel minorem efficiat. Quæ enim à fortuna solent accidere, Philosophus distinguit: 1. quoad *ποσότητα*; quod sint multa vel pauca, magna vel parva: 2. quoad *ποιότητα*, quod sint vel bona, vel mala. Quod attinet parva & pauca, in utraq; fortuna *ὁυ ποίσει ἕσπην τῆς ζωῆς*, nullam felicitati mutationem inferunt, ob exilitatem suam. Multa autem & magna, si BONA sunt, *μακροτέρως* beatiorum vitam efficiunt: Nam & ad ornamentum valent, & usus eorum honestus atq; serius est. Si MALA, *ἀλίβεσιν γὰρ λυμάνονται μακρότερον* vitã beatam labefactare videntur: siquidem dolores afferunt, & multas actiones impediunt: non tamen *ἄλλως* adimunt, cum extrinseca sint, quæ internam felicitatis essentialiam non tollunt. Ideoq; Stoici sapientem etiam rotæ affixum, aut Phalaris tauro circumdatum, nihilominus tamen ob virtutis habitum existere felicem, afferunt: Et Aristoteles ait: virtutem in fortuna asperâ lucere magis, atq; ita etiam ratione essentiali ipsam beatitudi-

si-
tam
non
pu-
pri-
mo-
stis,
nus.
espe-
ita,
que
, vel
m a-
ran-
emi-
pau-
mu-
acet,
, sed
ulgi

feli-
a so-
l sine
, vel
ζωής,
m &
dor-
ALA,
iqui-
en &
ssen-
, aut
nabi-
ortu-
eati-
tudi-

tudinē; quamvis quoad existentiam pauld obfuscetur. Nam
ἀγαθὸς ἀληθῶς καὶ τετραγώνος ἀνὸς ψῆγυς, beatus est, in utraque for-
tuna constans, in secunda providus, in adversa patiens, instar lapi-
dis quadrati, qui firmam habet basin, neq; facile loco dimoveri po-
test, ac quavis fortunæ facie bellè scit uti. In eventis quidem est vicissitudo,
sed in virtute certitudo.

XXXVIII. QUINTUM *ἡβρισμα*: Defunctos rebus posteriorum non affici: 5.
Defuncti
rebus poste-
riorum non
afficiuntur.
si scilicet per τὸ affici intelligatur sensus, & inde ortus dolor ex tristibus, vel leti-
cia ex secundis. Defuncti enim non habent sensum eorum, quæ in his
terris geruntur: Abraham quippe nescit nos, & Israel ignorat nos. Esa. 63. §. 15. Deinde piij sunt in summa beatitudine, quos nec ullus attin-
git dolor: Sicut ergo ex posteriorum dignitate non fiunt beatiore, ita nec ex eorum calamitate misetiores. Impij verò sunt in aeterna damna-
tione, ubi mera tristitia, nulla leticia, ideoq; posteriorum rebus status il-
lorum non immutabitur aut felix evadet. Atq; hæc sententia in Ly-
ceo Theologico est decantata. Philosophus verò opinatur ad defun-
ctos quoq; τῶν ἀπογόνων καὶ φίλων ἀπάντην fortunam pertinere: quod id
negare λίαν ἀφίλον sit: quod defuncti videantur habere intellectum
eorum, quæ in terris geruntur: Verum si mala fuerint exigua, pa-
rùm mortuos contingere: si magna, umbræ instar ad defunctos per-
venire.

XXXIX. Fuerunt hætenus εἰς καὶ τίς ἐστὶ τῆς Εὐδαιμονίας: Nunc τὸ ὅτι III.
τὸ ὅτι
Qualis sit
Eudemo-
nia.
εἰς QUALIS SIT beatitudo, agendi datur occasio. Ut verò hæc quæ-
stio commodè explicetur, divisio Bonorum præmittenda venit: Est
autem *ὅτι* Bonum, vel ἐπαινετὸν laudabile, vel τιμιον honorabile, vel δύναμις
facultas, qua & benè & malè uti possumus.

XL. Sed Beatitudo non est bonum μέσον seu δύναμις, qualis sunt divi- Divisio
bonorum.
tiæ: quia istis uti & abuti possunt homines, ad suam & aliorum per-
niciem, felicitate non item: Semper enim prodest, obest nunquam.
Deinde felicitas est ἐπάγγελια quæ opponitur δυνάμει. 2. Nec ἐπαινετὸν dici
potest, quia laus propriè est eorum, quæ ad aliud referuntur: cùm fe-
licitas sit ultimum, nec ultra se aliud habeat. Relinquitur ergo, ut felicitas
dicatur. 3. τιμιον ἀγαθόν. 1. quia est bonum excellentissimum: honor autem re-
bus duntaxat nobilissimis & præstantissimis convenit: quam ob causam
DEO potissimum rebusq; divinis is adscribitur, quippe DEUS
omni laude major est. 2. omnia & singula bona, quotquot sunt, ad i-
psam beatitudinem tanquam metam ultimam referuntur.

B 3

XLI. Nec

XLI. Nec VIRTUTIS, nec ANIMI cognitio à philosopho practico est aliena: siquidem 1. in felicitatis definitione virtutis facta est mentio, ut eâ ignoratâ felicitas perfectè cognosci nequeat. 2. hic etiam finis est disciplinæ civili propositus, ut cives reddantur virtute præditi, sicuti, exempla Legislatorum testantur, ut Minois, Cretensium, qui à Iove: & Lycurgi, Lacedæmoniorum, qui ab Apolline leges suas accepisse dictus est; quò leges ipsorum, virtutum præcepta continentes, majorem apud cives haberent autoritatem.

IV.
SVBIE.
CTVM,

XLII. Animæ etiam hic habenda est ratio, non exacta illa quidem, sed talis ac tanta, qualis ac quanta huic instituto inserviat: est quippe animus virtutis subiectum, & eo cognito facilius cognoscitur virtus.

XLIII. Hominis autem animi duæ partes, ut vocant Scholastici, potestativa, seu potius facultates, statuuntur: quarum una λόγον ἔχουσα rationalis: altera ἀλογος irrationalis dicitur: Et hæc quidem vel omnis rationis exers, ut ea pars, quæ dicitur φολικὴ vegetativa: vel μετέχουσα πῆ λόγου rationis quodam modo particeps, quatenus rationem audit, eiq; obtemperat, non secus ac patri filius, aut domino servus & dicitur ὀρεκτικὴ appetitiva, qua res objectas aut persequimur ac fugimus.

XLIV. Atq; partem animi rationalem inhabitant virtutes διανοητικαί, quæ τῶν διάνοιαν sive intellectum perficiunt, ut: 1. ἐπιστήμη Scientia. 2. τέχνη Ars 3. φρόνησις Prudentia. 4. σοφία Sapientia. 5. νοῦς Intelligentia: Alteram verò partem, quæ μετέχει πῆ τῆ λόγου, inhabitant virtutes ἠθικαί Morales, quarum V N-DECIM numerantur: 1. ἀνδρεία Fortitudo. 2. σωφροσύνη Temperantia. 3. εὐδαιμόνεια Liberalitas. 4. μεγαλοπρέπεια Magnificencia. 5. μεγαλοψυχία Magnanimitas. 6. μετῶτης περὶ τὰς τιμὰς Modestia circa honores, 7. πραότης mansuetudo. 8. ἀλήθεια Veritas. 9. φιλία amicitia. 10. ἐὺραπειλία Urbanitas. 11. δικαιοσύνη Iustitia: De quibus in subsequentibus libris cum Philosopho agemus: Nunc libet ad uberiores quarundam thesium explicationem subycere

PROBLEMAT A.

I. An omnia, an verò creaturæ tantum rationales appetant finem?

l. 2. φυσ.
ἀκε. 6. 5.
§. 49.

Aristoteles affirmat, & verè: sic enim ait: ἐστὶ δὲ ἕνεκά τῶ ὅσα τι ἀπὸ διανοίας ἀνθρώπων, καὶ ὅσα ἀπὸ φύσεως: Et alibi ἡ φύσις ἕνεκά τῆ, καὶ μηδὲν ματῆν

ματῶν ποιῶν: Si igitur Natura nihil facit frustra, propter finem agat ne-
cessè est: adeoq; non solum Creatura rationalis, sed omnis propter
finem operatur, teste quoq; experientia. *Nonnullis verò posterius saltem*
problematis membrum probabile videtur: 1. quia solus homo finem agno-
scit, & nunquam propter finem ignotum agit: Iam cognitio finis ad
appetitum requiritur: E. Creaturæ insensiles, quæ cognitione peni-
tus destituuntur & bestiaæ finem non appetunt. 2. Voluntas est in ra-
tione: Aristoteles l. 3. de anima. c. 10. §. 42. Atqui voluntatis obje-
ctum est bonum & finis. Ergò quorum non est voluntas, illa non
possunt bonum appetere, ut bruta & alia. 3. dirigere suam actionem
ad finem, est propter finem agere. Atqui illud est rationis opus. Ergò
hac qui destituuntur non agunt propter finem. Sed PRAENOSCEN-
DVM, quod aliquid ad finem tendere bifariam dicatur: 1. ut seipsum
movens ad finem, & sic homo tantum finis gratia agit. 2. ut ab alio
motum ad finem: sic sagitta mota à sagittario tendit ad scopum
præfixum: sic omnia, quæ ratione carent, ad finem tendunt, pro-
pter inclinationem naturalem, tanquam ab alio mota. Extirpamus
itaq; dubia: In 1. est Sophisma homonymiæ: & περὶ τὸ πλῆ. Nam Ho-
mo non semper finem accuratè cognoscit, sed tum tantum, quan-
do per seipsum agit propter finem: quando ad alterius imperium a-
git, non est necessaria finis cognitio. 2. est petitio principij: Nam vo-
luntatem solam finem intendere probandum est. Deinde περὶ τὸ μὴ
ἰσόμενον. Nam objectum voluntatis est finis & bonum universale: in
reliquis verò particulare bonum est appetitus objectum. Omnia i-
gitur appetunt. In 3. est Sophisma περὶ τὸ πῆ καὶ ἀπλῶς. Nam dirigere
in finem est ejus qui seipsum movet ad finem, & sic ex parte conce-
ditur. Pergimus ad quæstionem aliam huic affinem.

2, *An appetitus Naturæ & noster aliquis
sit vanus & inanis?*

Aristoteli pars arripit negativa, & verè: lib. 1. Eth. c. 2. Sed qui-
dam obijciunt: 1. Quia appetitus non potest aliquando suum assequi
finem: id quod inductione probatur: 1. Lapides habent propensio-
nem ad casum deorsum, sed in ædificijs sursum detinentur. 2. Mulæ
uterum habent, & tamen non pariunt. 3. Talpæ habent oculos, sed
occlu-

oculos, quibus nunquam uti possunt: Quare natura videtur hæc frustra produxisse. II. Voluntas est quandoque eorum, quæ fieri nequeunt: Quam multi enim exoptant loculos Fortunati aut Gygis annulum: Voluntas verò est appetitus: E. appetitus noster sæpè est vane & inanis. Sed Respondetur ad. 1. *Lapides & bruta sine suo frustrari per accidens*, ut impedita ab aliqua externa causa. Sic *Natura*, postquam delineavit *oculos in talpis*, debilitate temperamenti & spiritus impeditur, ne possit eos perficere: Sic *Mula*, quod non pariunt, fit propter defectum menstrui sanguinis. Ad. 2. *per distinctionem appetitus*: *Alius enim non est directus ratione seu destitutus electione*, de quo conceditur totum: *alius est conjunctus cum recta ratione & electione*, is nihil potest velle, nisi quod intellectus intelligit, nec frustratur suo fine; & de hoc intelligendus est Aristoteles.

3. An summum Bonum in DIVITIIS sit collocandum?

Tantalo, Mida, Craso, Crasso, & alijs multis tantas opum acervi erexere aristas, feceruntque animos, ut nisi propter hos beatorum sustinere nomen voluerint: *Misella* quodque plebecula nebulis ipsorum involuta, non nisi hos beatos & quasi gallinæ albæ filios decantavit, & buccinavit. Idem adhuc hodiè fit: *Ille beatissimus, qui auri multum, multum argenti, telluris spatiosam occupat partem: at barbaries grandis, habere nihil.* Sed quod divitiæ non sint summum bonum supra probatum fuit thesi. 17. *Nonnulli contrarium docent persuasi his rationibus*: 1. quia homines maxime divitias appetunt: id quod de ratione ultimi finis est. 2. pecuniæ obediunt omnia, & qui divitias habet, omnia habet: qui omnia habet, nil amplius appetit: qui amplius nil appetere potest, summam habet felicitatem: Hæc n. sola expetitur propter se ac ultimo. *Sed respondetur ad. 1.* quod multitudo errantium errori non patrocinetur: deinde distinguendum inter appetitum rectum & curvum: ratione informatum & depravatum. Ad. 2. omnia corporalia bona obediunt pecuniæ, quantum ad multitudinem stultorum, qui sola bona agnoscunt, quæ pecunia acquiri possunt: *Judicium autem de humanis bonis non debet sumi à stultis, sed à sapientibus.* Neque Sorites valet, dum ex puris contingentibus contextitur.

4. An

4. *An summum Bonum seu Beatitudo in hominum vitâ inveniri possit?*

Nonnulli dubitant, his persuasi rationibus: 1. quia in altera demum vita nos beatitudinis fore participes sacrae docent literae. 2. quia hominum longè inferior quàm ipsarum beluarum est conditio: *quandoquidem homo nascitur lacrymis, lacrymis moritur, inter mediam vitam lacrymis irrigat.* 3. quia beatitudinis essentia in perfectæ virtutis operatione consistit: Quotusquisq; autem est, qui, non dicam, omnes virtutes, sed unicam tantùm ex iisdem possideat: *Vbi jam virtus exulat, ibi locum obtinere summum Bonum nequit.* 4. beatitudo in operatione continua & non interrupta consistit: Ast homo indefinenter & perpetuò operari non potest, sed alternis vicibus laborat & quiescit: Imò DEUS ipse labori diem, noctem quieti destinavit. 5. Existit magna doctorum virorum de summo Bono discordia & discrepantia: Scribit enim Varro CCLXXXVIII. opiniones inter philosophos de illo viguisse: iam impossibile videtur, de eo, quod non tantùm esse videtur, sed etiam revera est, tot dubia & diversa Doctorum virorum dogmata exurgere posse, cum veritas nunquam adeò lateat, ut à nemine possit conspici: *siquidem faciliores sunt exitus veritatis; impedita autem semper manet falsitas: Et nihil magis veritatis arguit cognitionem, quàm multorum sapientum consensus.* Sed AFFIRMATIVAM partem tuemur cum philosopho: prout etiam supra in frontispicio thesium factum: Nunc saltem libet exempla proferre beatitudinis in concreto considerata: Concretum autem est vel species, vel individuum hominis. In specie dicimus perfectissimam reperiri beatitudinem: In individuo hujus solum partem, eamq; vel potiore vel minorem, quæ vel est portio essentia vel existentia felicitatis. *Desideras exempla in individuo?* (liceat ex Theologia sequentia afferre: quamvis cum philosophica consideratione non omninò convenient: puta, quod philosophus hominem nec bonum, nec malum nasci, sed qui possit bonus vel malus evadere, sentiat) *nō nisi tria reperies: ADAMUM & EVAM ante lapsum: & CHRISUM.* Nam ADAM & EVA summum bonum possidebant absolutissimè tam ratione essentia, quàm existentia: *ratione essentia*, omnium virtutum & moralium & intellectualium splendore erant cumulati, imaginem DEI gestantes perfectæ justitiæ, sapientiæ, fortitudinis, liberalitatis, veracitatis, & re-

*l. de phi os.
Aug. l. 9.
de civ. Dei*

& reliquarum virtutum, in quarum actione felicitatis essentia continetur; *Ratione existentia*, Domini erant totius mundi pulcherrimi, maximè sani, omnium nobilissimi DEI patris liberi liberrimi: nec bonum excogitari potest, quo illi caruerint, quando quidem omnium summo fruebantur bono videl. suo creatore. CHRISTUS quoq; *exemplar existit verae beatitudinis*, siquidem in ipso thesaurus erat sapientiæ & iusticiæ DEI: erat fortis, temperans, liberalis, verax, mansuetus, humilis, magnanimus, affabilis Heros. *Videtur quidem Christus multis bonis externis fuisse destitutus: Divitijs*, erat enim pauperimus; non enim habebat, ubi caput suum reclinaret: *Honore & dignitate*, Erat enim omnium contemptissimus & abjectissimus, ab ignobili fœmina in hanc lucem editus, vitamq; execranda finiverat in cruce, diu multumq; antè miserè vexatus, dilaceratus, & percussus, ita ut dici magis possit, eum ratione existentie miserum extitisse. *Verum hoc absolutè asserendum non est: Quod enim bonis quibusdam se orbari concessit, non PROPTER SE, sed propter HOMINES PECCATORES saluti restituendos lubens admisit* aliàs enim omnium rerum Dominus & Creator fuerat, omniumq; liberrimè uti potuerat, sed noluerat: *Siquidem ut tibi peccatori benè sit, voluit sibi malè esse: ut tu ditescas, pauper esse voluit: ut tu vivas, mori: ut tu honoreris, contumelia & dedecore affici: ut tu voluptate demulcearis, horribiles sustinere dolores ipsi placuit: aliàs quoque erat oriundus ex stirpe regia Davidica: erat omnium filiorum hominis formosissimus: erat corpore maximè sano: nunquam enim egrotasse in historia legitur Evangelica, præterquam cum violentis verberibus à gregariorum turba exciperetur, & ita quidem tractaretur violentis manibus, ut spiritum exhalare fuerit coactus. Hæc tria tantùm beatitudinis perfectæ exempla individua dari possunt, quam diu genus extitit humanum. Desideranti imperfectæ beatitudinis exempla, frequens historiarum lectio offeret. AD DUBIORUM REMOTIONEM PRÆNOSCENDUM est. I. Beatitudinem aliam esse divinam, caelestem, seu theologiam, quæ vita æterna appellatur, ac consistere docetur in ipsius DEI agnitione, vel ut Scaliger tradit, in DEI fruitione & participatione per fidem in Christum nobis obtingente. II. Humanã, quæ industria & viribus humanis acquiri potest, aliam esse theoreticam, aliam practicam: illà homo procul à civili turba sibi ac cælo vivit, despecta terrâ: hæc Reipublicæ, eam constituendo & legibus muniendo. III. Practicam considerari bifariam: vel ratione essentia, vel ratione existentia: sive ratione bonorum interiorum, vel ratione*

Joh. 17. § 3.
 Scal. Ex.
 307.

ne externorum : modo priori propriè & verè beatitudo vocatur : Posteriori autem vulgo, non ipsam pultem, sed vitreum saltem vas lambente, felicitas esse creditur. I V. Beatitudinem investigari posse & reperiri, aut in universa specie humana, aut in quolibet ejus individuo : V. Beatitudinem practicam in gradu suo perfectissimo sumtam, unicuiq; homini individuo tanquam ideam quandam esse ob oculos positam, ut pro virili suum urgeat studium, optima audiat, optima aveat, ad optima anhelet, adeoq; perpetuò contemplando beatitudinis partem aliquam, si non totam, adipisci queat. RESPONDETUR itaq; ad. 1. Sacra scriptura non de humana, sed de divina loquitur felicitate, quæ hac hominum in vita RE non invenitur, sed tantum SPE, attestante Paulo: SPE SALVAMUR. Hanc enim homo imagine DEI se privans meritò amisit. Ad. 2. Homo post lapsum duobus consideratur modis : vel prout anima constat immortalis : vel prout habet corpus incorruptibile. Tametsi quoad corpus queant ipsi infortunia accidere ; tamen quoad animam interest ejus, iniquæ sortis insultus patienter ferre. Vt a. hoc præstet, virtute opus est, qua se prius imbuere tenetur. Licet itaq; beatitudo ratione existentie non semper in homine fulgeat, ob bonorum externorum carentiam : nihilominus tamen beatitudo ratione essentia salvari potest. Præterea calamitates hominum nihil inferunt, nisi nullum individuum hominem felicem esse perfectissimè, & essentia & existentia ratione : non autem arguunt, speciem humanam omni carere summo bono, aut neminem individuum hominem partem ejus quandam, si non universum, obtinere. Ad. 3. Virtutem in homine reperiri, docent exempla. Et nihil aliud ex objectione allata sequitur, quam virtutem esse raram, nempe perfectissimam in uno aliquo individuo : Interim tamen raram esse, ipsum *εὐου* & beatitudinem innuit. Ad. 4. Perpetuatio actionum dupliciter intelligitur, Numerice & Specificè : ILLA cadit. 1. in actiones divinas. Deus enim est actus purissimus & simplicissimus : Ideoq; ob absolutam perfectionem, in agendo deficere non potest. Sicut Christus inquit : Pater meus usq; huc operatur & ego operor. 2. cadit in Angelos & homines beatos, qui indefinenter Iehovam collaudaturi sunt & *ᾠδῶν* suum perpetuò cantaturi : 3. Sed non cadit illa perpetuatio & continuatio numerica in actiones hominis animales, h. e. quàm diu hinc homo vivit, actiones ejus interruptæ neququam dici possunt : quia omnibus animantibus (exceptis infantibus in utero materno delitescantibus) somnus competit : Somnus autem actiones

Ro. 8. 24

Iob. 5.

264
ones animantium impedit. Quod si hoc: numerica continuatio in il-
las non cadit: quia interruptio & continuatio sunt opposita, quæ ei-
dem simul tribui non possunt. Itcirco dicendum est: Aristotelem intel-
ligere continuationem specificam, h. e. ut homo è virtutum tramite in semitam vi-
torum *παράβασιν* non committat aut exorbitet, sed perpetuo tenore virtutem co-
lat. Ad. 5. Multitudo errantium errori haud parit patrocinium: Sic discordia de
eadem re variè sentientium ipsam vim nequaquam tollit, imò ponit potius ean-
dem. Si enim non esset; cur quæso tot de ea, tanquam de non Ente
essent dogmata, cum non Entis nullæ affectiones, nulla cupido. Quod
ergò de summo bono quod sit tantoperè dubitetur, non ipsum tollit,
sed magnæ illud esse excellentiæ docet ac confirmat.

5. *An summum Bonum in HONORE sit
collocandum?*

Pleriq; Politici & Practici Eudæmoniam estimabant & adhuc æstimant
magis horum titulis, *μειζοτέρων* hominum genu flexione. Sic enim sibi viden-
tur quàm proxime à DEO, cui honor debetur summus abesse. Hinc
etiam Ethnorum Reges pleriq; & vivi & mortui volebant adorari, maximiq; af-
fici honoribus. Sed Honorem non esse summum Bonum è thesis constat:
Obijciunt quidam: 1. quia S. B. requisita honori competunt, scil. præmi-
um esse virtutis, ut ex definitione honoris constat: & ab omnibus ap-
peti, quod experientia testatur. 2. quia honore DEO conformes fiunt.
3. quia per gloriam & honorem quodammodo æternitatem conse-
quuntur: quod sanè S. B. rationem habet, quippe quod stabilissimum
est. Verùm RESPONDETUR ad. 1. quòd præmium virtutis sumitur vel
pro signo ejus, vel pro re ipsa: Honor est quidem signum præmij virtutis. Hunc
enim accipiunt virtuosi, ab hominibus, quasi non habentibus ad-
dandum majus. Ipsum autem præmium absolutè esse nequit, propter quod ope-
rantur virtute præditi: Hoc enim est ipsa Beatitudo. Deindè propter
concomitantiam homines maximè appetunt. Ad. 2. Honor quando
DEO tribuitur, signum & testimonium est excellentiæ præexisten-
tis; non verò quasi honor Deum faciat beatum. Ad. 3. per accidens
fama & gloria stabilis interdum perseverat, & per mundum
volitat: Sed summum Bonum per se stabile est. De-
indè perseverantia tantum signum est
beatitudinis,

F I N I S.



Dn. T
N
V
li

Dn. C



libus

r. Cæsareæ
cumatori in
ssimo, fide-

ntiæ

engefelder /
s Rei Mone-
Præfecto,


hanc

& offert

aël Beer/

SPONDENS.

ac
Ec
G
pr
pa
su
ca
an
res
for
an
dit
m
PE
bo
ti
Su



KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

- Blue
- Cyan
- Green
- Yellow
- Red
- Magenta
- White
- 3/Color
- Black

